

5 + 6/2002

IDIBVS DECEMBRIBVS

MMII

VARIVS
TOR VARIVS
VMOR VARIVS
RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
TOR VARIVS
A D I V C

TOMVS 25

FASC. 146

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in aedibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia CHF 27.-

In ceteris Europae terris CHF 32.-

In terris trans maria sitis US\$ 30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS, C/o EDITIONS DU LAC Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse CHF 27.-

Europa/Europe CHF 32.-

Ueberssee/outre-mer US\$ 30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Ulrich Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Grafik und Layout/graphisme et layout:

Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Expédition: Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition

RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC, Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

PRÆFATIO



Amicae et amici nostri!

Anno 2002° paene praeterito libellum 5+6 RUMORIS VARIII accipitis, quo inter alia legere poteritis, quae nobis ad argumentum 'De pingendi arte' missa sunt, praeterea octavam partem de fato Romuli Magni, aenigma quoque invenietis - sed ipsi videatis et gaudeatis!

Anno exeunte inter Sollemnia Natalicia et Festum Epiphaniae in regionibus Alpinis multae et mirae consuetudines sunt. Tempore brumae homines olim partum solis celebrabant. His diebus lux cum tenebris luctare dicebatur. Noctibus inter diem vicesimam quartam Decembris (Sollemnia Natalicia) et sextam Ianuarii mensis (Festum Epiphaniae) secundum fabulas populares insolita et mira accidebant: Exercitus ferox clamore venatico et latratu canum comitante gradu citato per noctem festinans saeviebat, domina nomine Holle (nostra lingua 'Frau Holle') vagabatur, oracula conspectum rerum futurarum praebant, animae mortuorum circumibant, et vires magicae imprimis his diebus valebant.

Apta ad hoc tempus ecce nonnulla exempla harum consuetudinum popularium:

Inter Sollemnia Natalicia et Annum Novum non licet stercus egerere vel frumentum terere, aliter magae difficultates afferunt. Neque se ipsum neque vestes suas lavare licet, aliter fortuna anno sequente deest. Nocte Natalicia omnis aqua in vinum mutatur, et bestiae vocibus humanis colloquuntur. Qui nocte Natalicia furtum facit non deprehensus, per totum annum non deprehendetur. Qui media nocte nudus conclave verrit, futurum amatum vel amatam nudam sub mensa sedentem videt. Qui ultima anni die, quae Silvester appellatur, ad duodecimum ictum campanae non de mensa vel selle desilit, ei anno novo fortuna deest. Si coniuges hac nocte in pelle bestiae masculae, sub qua galli ossa in carbonem conversa strata sunt, concumbunt, filium accipient, sin in pelle

bestiae muliebris super gallinae ossa concumbunt, filiam gignent.
 Nox Festi Epiphaniae periculosissima est. Hac nocte vires horribiles
 vagantur, itaque non sub divo versari melius est. Quantae stellae hoc ves-
 pere per fumarium aspiciuntur, tanta pocula vini hoc vespere bibere licet.
 Qui ad campanae sonum, cum horam orandi in memoriam vocat, palum
 saepis ex terra trahit, ex foramine vaticinia anni venientis audit.

Hactenus ad oblectationem vestram. Sive talia faciatis, sive non: Sint
 vobis utique Sollemnia Natalicia pulcherrima et annus novus felix, faus-
 tus fortunatusque!

Valete!




Daniel Weissmann




Fons: Die Weltwoche, 23.12.1999

Publili Syri sententia



E. GITTA

SOLUTIO: Sicut formosa pictura est, cuius nulla pars errat, sic et for-
 mosus homo, in quo nulla peccatis foeda est.



Quales et quanti inter picturam ac poesin intercesserint Alexandrina aetate nexus

Ut inter omnes constat, aetate illa, quae Hellenistica nuncupatur sive Alexandrina, permulti exstiterunt poetae (ac poetria) qui pingendi artem summis extollerent laudibus.

Tabulas exempli gratia Nossis celebravit, quibus suavia amicarum lineamenta exquisita depicta erant veritate: pulcherrimum enim Melinnae vultum perbelle ab artifice repraesentatum esse admiratur, qua formositate eo iucundius laetari spectantes opinatur, quod perfecta filiae cum cara matre similitudo nitide appareat ac perspicue.

Ἀπροδοκῆτον in alio Nossidis epigrammate invenimus amicae Thaumaretae dicato: tam veri similis enim pinax esse dicitur, ut vel ipsa domestica catella caudam festive agitet, dilectam sibi adesse dominam deceptoriam illusionem credens.

In quarto ex Herodae mimiambis duarum fit descriptio femellarum, quae in Aesculapii sacrario in insula Coo sito eximia Apellis opera mirabundae inhiant; quod vero - mutatis scilicet mutandis - et in Theocriti mimo cui "Syracusanae" est titulus de mulierculis narratur aulaea ac peristromata apud Ptolemaeorum regiam contemplantibus.

Interdum fit ut cum pictoribus poetae ipsi quodammodo certare audeant: carmen imprimis eiusdem Theocriti commemoretur, cui "Fistula" seu "Calamus" est index: decrescenti versuum longitudine musici formam instrumenti ac figuram adfabre Syracusanus vates imitatur; aliquid consimile de securi ac de ovo traditur fecisse Simias, de ara sive altari Dosiades Cretensis.

Nec vero praetereundum est quod e poetis nonnumquam artis suae materiam pictores traxerunt: tessellati operis Mytilenis reperti mentio est facienda, in quo Menandrum "Litigantium" episodium convenienter illustratur, ubi pastor Davus et carbonarius Syriscus aspere contendunt, utri ipsorum expositi infantis crepundia sint adiudicanda.

Nec rerum quidem scriptores defuerunt, qui quandam quasi 'picturae historiam' soluta oratione adumbrarent: inter quos principem obtinet

locum Samius ille Duris, qui Georgii Vasari praecursor merito est habitus; e Duridis opere, quod "De pictoribus" inscriptum est, plurima hausisse facta scitu memoratuque digna Senior perhibetur Plinius.

De eodem pepigisse argumento librum, aeneam quoque sculpturam tractantem, Antigonum illum tradunt Carysti, in Euboeae urbe, tertio ineunte a. Ch. n. saeculo in lucem editum.

Si omnes igitur artes arto copulatae sunt propinquitatis vinculo, laudi Hellenisticae imprimis aetatis auctoribus ascribatur quod eiusmodi nexus plurifariam exprimere valuerunt atque illustrare.

Orestes Carbonero



De pictoribus Graecis


I Zeuxis et Parrhasius

Initio quarti ante Christum natum saeculi duo floruerunt nobiles pictores Graeci, quorum uni nomen erat Zeuxis, alteri Parrhasius. Hi quondam in pingendi arte se certare statuerunt.

Primum Zeuxis tabulam proposuit, in quibus uvas pinxerat. Hae tam similes erant naturalium uvarum, ut ipsae aves iis visis ad picturam advolarent. Victoriā igitur ille iam reportaturus esse videbatur, cum Parrhasius suam tabulam attulit, in qua linteum pinxerat. Quod Zeuxis cum videret, verum esse putavit linteum, quo pictura tegetetur. Itaque Parrhasium rogavit, ut remoto tandem linteum picturam ostenderet. Ridens respondit Parrhasius: "Ipse remove linteum!" Id frustra facere conatus Zeuxis paulo post errorem suum intellexit. "Uter nostrum", inquit Parrhasius, "dignior est, qui victor declaretur: is, qui aves fefellit, an is, qui ipsum artificem in errorem induxit?"

Postea Zeuxis novam pinxit tabulam, in qua puer uvas manu tenebat. Cum ad eam quoque aves advolassent, pictor iratus processit et: "Melius", inquit, "uvas quam puerum pinxi; nam si hoc consummassem, aves a puero perterritae evolavissent!"

(Cf. Plinius Maior, Naturalis historia 35, 36,65-66)



II Ars – aemula naturae?



Crotone, in urbe Magnae Graeciae, quondam erat templum lunonis, quod summa cum pietate colebatur. Id cum Crotoniatae egregiis picturis ornare statuissent, Zeuxin, pictorem celeberrimum eius aetatis, magno pretio proposito ad se invitarunt. Hic compluribus tabulis pictis imaginem Helenae se efficere velle dixit, quae singularem muliebris formae pulchritudinem contineret.

Cum Crotoniatae huic consilio libenter assentirentur, Zeuxis statim rei perficiendae se dedit. Quaesivit ab iis, num quas virgines formosas haberent, quibus in pingendo exemplis pulchritudinis uteretur. At paulo post aliquot virginibus productis: “Nullam harum”, inquit, perfectae pulchritudinis esse censeo. Pluribus mihi exemplis opus est, e quibus optimas formas coniungam.” Deinde virgines adductas diligentissime inspexit atque quinque selegit, quarum formas in imagine Helenae pingenda imitaretur.

Ita artifex ille ipsius naturae aemulus existere ausus est; pulchritudinem enim virginum vivarum, quas natura creaverat, sua arte superare studuit.

(Cf. Cicero, De inventione 2,1,1-3)

III Apelles, pictor illustrissimus suae aetatis

Apelles, aequalis Alexandri Magni, illustrissimus pictor suae aetatis fuit. Ipsi regis ille imaginem saepissime pinxisse traditur; namque hic a quoquam alio se pingi vetuerat. Eundem tanta arte pinxisse aiunt Dianam Nympharum choro cinctam, ut etiam Homeri versus hoc ipsum describentes vinceret.

Quondam Apelles certamine cum aliis pictoribus instituto equum pulcherrimum pinxerat. Cum vero equi ab aemulis picti nonnullis spectatoribus magis placere viderentur, ambitu praevalere aemulos sentiens ad quadrupedes provocavit: adductis equis singulorum picturas ostendit. Hi Apellis tantum equo adhinniverunt.

Idem tabulas suas perfectas in pergula proponere solebat praetereuntibus spectandas, atque ipse post tabulam latens, quoniam hi in iis vitia adnotarent, auscultabat, ut sincera de iis iudicia haberet. Fama est sutorem quendam praetereuntem crepidas ab Apelle parum bene pictas reprehendisse ac pictorem eas statim correxisse; sed postridie sutore eodem superbe admonente, ut alias quoque partes tabulae corrigeret, indignatum exclamasse: “Ne sutor supra crepidam!”

(Cf. Plinius, Naturalis historia 35,36, 85-96)

Ericus Palmén

Rubens pictor fabulam de Paride arbitro illustrat



Non dubito quin vobis fabula de Paridis iudicio bene nota sit. Hodie ante oculos vestros ponam imaginem illam ab artifice nominis Petrus Paulus Rubens factam, quae fabulam eam patefacit. Ecce Paridem iuvenem, qui in Idae monte oves pascit! Sub arbore sedens pomum aureum manu tenet. Nam Eris, dea discordiae, irascens, quod ad nuptias Thetidis invitata non erat, pomum hoc medios in convivas iecerat, cui inscriptum erat: Pulcherrimae.

Post Paridem Mercurius deus stat. Iuppiter nuntio suo imperaverat, ut deas lunonem, Minervam Veneremque pulchritudinem sibi vindicantes ad Paridem deduceret; Iovis iussu iuvenis pastor controversiam earum diiudicare debebat. Videtis in imagine deas tres inter se aemulantes. Iuno dea pollicita est: “Si mihi malum dederis, potentissimus Asiae rex fies.” Tum Minerva: “Si ego malum id adeptus ero, gloriam summae sapientiae consequeris. Postremo Venus: “Illis non fisis sis, puer, fieri non potest, ut potentiam aut sapientiam sine magno labore nanciscaris. At si amicitiam meam petes, tibi Helenam formosissimam omnium mulierum in coniugium dabo.” Paris iuvenis simplicitatis animi neque potentiam neque sapientiam petebat. Probe scimus eum Veneri malum dedisse et

ea de causa lunonem Minervamque Troianis inimicissimas fuisse. Imago haec autem dearum discordiam non demonstrat. Rubens iam senex maturitatem perfectam exprimit. Pictor luce dulci luxuriam corporum ante oculos ponit. Non ver, sed autunmus aureus apparet. Deae iam locutae sunt; nunc oculis iuvenis pulchritudinem corporum praebent. Mercurius iuveni consilia non dat. Paris iudicio suo stare potest. Animorum habitus placidus esse videtur. Tamen constat iudicium hoc semen et causam belli acerbissimi fuisse. Paucis rebus Rubens consecutiones iudicii patefacit. Caelum vi ventorum turbatur. Pavo, quae avis lunonia habetur, canem Paridis irritare conatur. In imaginis parte sinistra clipeus simulacro Medusae capitis ornatus apparet. Quamquam Rubens locum magna cum serenitate tractat, non negat mortalibus fortunae mobilitatem experiendam esse.

Barbara Maier



«Nullus dies sine linea»

Apelli fuit alioqui perpetua consuetudo nunquam tam occupatum diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem, quod ab eo in proverbium venit.

Architecti est scientia pluribus disciplinis et variis eruditionibus ornata. Litteras architectum scire oportet ut commentariis memoriam firmiorem efficere possit. Deinde graphidis scientiam habere quo facilius exemplaribus pictis quam velit operis speciem deformare valeat. Namque pictura imago fit eius quod est seu potest esse, ut homines, aedificia, naves, reliquarumque rerum e quibus finitis certisque corporibus figurata similitudine sumuntur exempla. Ex eo antiqui qui initia expolitionibus instituerunt imitati sunt primum crustarum marmorearum varietates et collocationes, deinde coronarum, siliculorum, cuneorum inter se varias distributiones.

Postea ingressi sunt ut etiam aedificiorum figuras, columnarum et fastigiorum eminentes proieturas imitarentur. Delineare tamen non facile est. Columnas Doricas e. g. striari viginti striis oportet; quae si planae

erunt, angulos habeant viginti designatos: sin autem excavabuntur, sic est forma facienda, ita ut quam magnum est intervallum striae, tam magnis striaturae paribus lateribus quadratum describatur; in medio autem quadrato circini centrum collocetur, et agatur linea rotundationis, quae quadrationis angulos tangat; et quantum erit curvaturae inter rotundationem et quadratam descriptionem, tantum ad formam excaventur. Ita Dorica columna sui generis striaturae habebit perfectionem.


Non sufficiunt haec. Ars perspectiva, oculus, licet sagacissimum inter sensus nostros exteriores, mirabili cum voluptate decipit; eademque necessaria est iis, quibus in pingendo, tum singulis figuris positionem ac deformationem suam congrue tribuere, tum colores et umbras, magis vel minus intendere aut remittere, prout oportet, curae est. Ad id autem sensim sine sensu illi perveniunt, qui solo studio graphidis non contenti, singulis architecturae ordinibus exacte deformandis assueverint.

Anno 1693 in libro a Andrea POZZO e Societate Jesu conscripto, c. t. est «Perspectiva pictorum et architectorum», docetur modus expeditissimus delineandi optice omnia quae pertinent ad architecturam.

De circulorum deformatione

Ut stylobatis imponere liceat columnas cum suis basibus et capitellis, docendus est modus qui servandus est in projectione optica circulorum, tum singularium, tum duplicium aut multiplicium circa idem centrum. Vestigium geometricum A constat quadrato in quatuor partes aequales diviso, cui circulus inscribitur, additis diagonalibus: et ubi hae secant circulum, fiunt rectae parallelae ad singula latera ipsius quadrati. Deinde quadratum cum omnibus divisionibus optice imminuitur; ac tum per quatuor puncta ubi tres lineae rectae se intersecant, tum per quatuor extrema reliquarum duarum diametrorum circuli, ducetur cum venustate circumferentia circuli B. Si addere velimus alium circulum, vestigio geometrico C inscribitur aliud quadratum; indeque habebitur optica delineatio duplicis circuli D. Inter hos duos quomodo liceat describere tertium, per octo sectiones quadratorum, ostendunt figurae E et F. Uno verbo, circuli


describuntur per quadrata, adhibendo sectiones visualium cum parallelis ad lineam plani; ac nullum est punctum in quadratis et circulis A, C, E, cui per sectiones illas nequeat inveniri punctum correspondens in quadratis et circulis B, D, F. Nihilominus ubi opus habeas pluribus circulis, autor tibi sum ne multiplices quadrata, plus confusionis allatura tibi quam adiumenti.



De optica delineatione columnae

Descripturi frustum cylindricum I uniforme, fiet elevatio A, et vestigium geometricum B, saltem quoad medietatem. Ex hoc optice deformato, ut vides in C, ducendae sunt parallelae tum latitudinis ad visualem D, tum elevationis ad visualem E; ex quibus describentur circuli optice contracti F et L, accipiendo latitudines ex vestigio C, altitudines ex perpendiculari M; et iuxta hanc methodum circuli F et L fiunt sine ope quadratorum. Demum ducendae sunt perpendiculares G et H, quae tangant circulos F et L in punctis terminativis maximae latitudinis. Nullum est punctum in vestigio C, cui per lineas latitudinis et elevationis nequeat inveniri locus correspondens in circulo F. Exempli gratia, locus puncti 6 est punctum 7. Hunc autem locum habemus per tres lineas, CD, DE, E7. In delineandis

duobus frustis cylindricis, cum summo et imo scapo, eandem regulam servare oportebit.




Quomodo columnae spirales delineandae sint

Ecce modus triplex delineandi columnas spirales:

1. Recta OA sit aequalis altitudini AB columnae. Fiat autem recta OB, et arcus AP ex centro O, divisus in partes duodecim aequales, ducendo rectas, quae per puncta divisionum desinant in columnam rectam; ac demum fiant parallelae ad basim: spatia inter has parallelas dabunt aperturam circini pro triangulis aequilateris et pro spiris, ut ostendit columna 1.

2. Translata in C tertia parte altitudinis columnae ab eius imo scapo, habeat circinus aperturam CD; ac posito uno eius crure prius in D, postea in C, fiant duo parvi arcus ad E: sectio illorum arcuum erit centrum arcus DC, quem oportet dividere in duodecim partes aequales, et ex punctis divisionum ducere parallelas ad basim. Tum spatiis inter parallelas divisus in quatuor partes aequales, tres ex illis partibus dabunt longitudinem crurum pro triangulis isoscelibus; vertices autem triangulorum erunt centra singularum spirarum, ut ostendit columna 2.

3. Ducta ex medio summitatis G recta GF, spatium HF transferatur in I, et fiat recta IL parallela ad basim HF; spatium IL transferatur in N, ac fiat NM, et sic deinceps. In parvis columnis triangula sine sensibili errore duci possunt per diagonales: in columnis tamen grandioribus, alterutrum ex modis antea explicatis adhibere necesse est.



Rettulit Stella GITTA

SOLUTIONES (RV 4/02)

Epistula a Stella Gitta proposita:

Si quid "ad amicum familiariter scripsi, si quid forte, dum ludimus, quod velim tamen occultum esse dictavi, omnia ad te prius paene quam fuerint scripta perveniunt."

Epistulae scriptor: SVLPICIVS SEVERVS

RETROVERSVM:

Imago animi sermo est: qualis est vir, talis oratio.

De vacca ad silvae marginem stante

(Hoc carmen Mani Matter lingua Bernensi composuit atque melodia exornavit; Martinus Meier versus Latine reddere conatus est.)

Pictorium auferens iugum¹ pictor petit rus
pingendo dignum quoddam quaesiturus.
Tum iuxta silvae marginem stat vacca neque sus.
Iam opus videt pictor gavisurus.

Sed primum silvam pingit atque parvos flosculos
et caelum magnum et caeruleum.
Tunc collibus depictis etiam format montulos,
priusquam bovem petit stupidum.



Coloribus sed manu mixtis fuscis callida
cum pictor penicillum² captitat,
mutetur in imaginem ut haec lactifera
- en ipsa illa cito avolat !

Infamis ista bestia a loco abiit
nec quisquam scit, qua re sit perturbata.
Pictore et clamante tamen numquam rediit,
imago vacuo est maculata.

Per totum pictor frustra diem tunc speraverat
redire vaccam saltem aliquam,
ut opus pulchrum, quod tam bene incohaverat,
perficeretur et per aliam.

Mundanae autem res – hoc scias – tam sunt perfidae,
ut neglegant, quae mente cogitantur.
Sic hoc in prato vaccae artis plane insciae
futurum illud opus populantur!


¹ iugum pictorium, -i n = Staffelei

² penicillus, -i m = Pinsel



De gustibus coloribusque

De sapore negant esse disputandum; recte quidem, ubi de ciborum sapore tantum quaeritur, quos palatum fastidiat, praecipue cupiat: de quo ideo non disputatur quia corporis vitium corrigi non potest. Ingenuarum autem artium haud similis ratio; quibus cum verae insint pulchritudines, qui satis sapit illas intelligit, qui parum, ignorat. Ergo, ut saepe corrigi possunt qui iudicii vitio male sapiunt, ita qui frigido sunt animo vel pravo ingenio nec accendas nec emendes; cum his scilicet non est de sapore disputandum, quod omnino non sapiunt. Nonne errat si quis dicit eos esse infelices qui subtilius sapiant et nimium intelligentes sint: vitiis enim illos nimis offendi, pulchra parum animadvertere, denique difficillimum quemque minime gaudere? Nonne e contrario dicendum est eos demum delectari qui recte sapiant? illos enim et videre et audire et animo percipere quae hebetiores et minus eruditos effugere soleant.



Secundum FENELON, magnum in magnis rebus esse decet, simplicem, nec tamen sordidum, in parvis: nunc inornate et subtiliter, nunc elate ac vehementer dicendum est. Nam, si quis pingendo nihil aliud umquam effingeret nisi domos magnificentius exstructas, nihil ille veri praestaret, sed fastidium brevi tempore moveret. Natura vero per varietates suas sequenda est: qui pulcherrimam urbem depinxerit, eum saepe postea convenit solitudinem aliquam et pastorum casas oculis ostendere. Sic plerique eorum qui praeclaras volunt habere orationes verborum splendorem omnibus locis pariter, nullo habito delectu, quaerere solent: omnia se fecisse putant, dum magna verba et sententias inanes velut in acervo quodam congesserint. Nec quicquam aliud cogitant nisi ut ornamentis orationem onerent!

Pingit ille quidem qui non solum verbis res describit, sed quemadmodum gestae sint tam vivide tamque acriter exprimit, ut auditor se rem

ipsam paene videre arbitretur. Ut si quis frigidus scriptor mortem Didonis narraret, nihil aliud referret nisi dolore illam, Aenea profecto, adeo confectam esse ut vitam perferre non posset; summas in aedes ascendisse; se in rogam imponuisse; sibi mortem conscivisse. Haec qui audiit rem intellexit, non vidit. Vergilium audias, rem ante oculos habebis. Qui cum, maerorem illum per omnes secutus partes, Didonem, morte iam in vultu eminente, furentem ostendit coramque imagine et ense illo loquentem, nonne tibi Carthaginem videris esse translatus? nonne troianam classem videre e litore fugientem reginamque a luctu nullo solacio recreatam? nonne eadem tu sentis quae tum spectatores senserunt? Vergilium non iam audis; maiore studio animum ad ultima miserimae Didonis verba intendis, quam ut illum recorderis. E conspectu poeta excidit; haec vides quae ille oculis obiecit, hos audis quos loquentes induxit. Haec est imitandi vis et pingendi. Unde fit ut tanta sit inter pictorem et poetam similitudo: nam picturas ille oculis, hic autem praebet auribus; utriusque res in mentes hominum inferendae sunt.

Scientia tua de pingendi arte quaestiunculis infra proba!

1. Apud Romanos quoque honos mature huic arti contigit, si quidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Fabii clarissimae gentis, princepsque eius cognominis ipse

- a) posuit in foro tabulas duas, quae Belli faciem pictam habent et Triumphum
- b) laeva manu pinxit, quod de nullo ante memoratur
- c) aedem Salutis pinxit
- d) tabulam pictam proelii, quo Carthaginenses et Hieronem in Sicilia vicerat, proposuit in latere curiae Hostiliae
- e) tabulam pinxit, quae, cum peracta esset in Maianis hortis, accensa fulmine cum optima hortorum parte conflavit
- f) tabulam repensam auro pinxit
- g) mulieres tralucida veste pinxit
- h) inspexit virgines nudas et quinque elegit, ut quod in quaque laudatissimum esset pictura redderet
- i) tabulam ter fulmine ambustam neque oblitteratam pinxit

2. Tempus iners depinxit

- a) Evenor
- b) Crassus
- c) Bularchus
- d) Zeuxis
- e) Dali
- f) Apelles
- g) Myrsilus
- h) Thmanthes
- i) Micon



3. Piraeicus «rhyparographus» cognominatus est quia


- a) naves pinxit usque ad quinquagesimum annum
- b) Ulixi primus addidit pilleum
- c) tonstrinas sutrinisque pinxit
- d) in veste rugas et sinus invenit
- e) stemmata pinxit
- f) parvas tabellas maximeque pueros pinxit
- g) primus lacunaria pingere instituit
- h) semper togatus pinxit
- i) subdialibus maritimas urbes pingere instituit

4. Inter colores est Indicum. Sunt qui vini faecem siccata excoquant adfirmantque, si ex bono vino faex ea fuerit, Indici speciem id atramentum praebere. Indicum autem

- a) est color quo minium sublini diximus
- b) fit Sinopide et sandyce mixtis
- c) est terrae, geminae originis
- d) fit ex cerussa in fornace cocta
- e) fit Romae cremato sile marmoroso et restincto aceto
- f) ex plumbo et aceto fit
- g) ex India venit harundinum spumae adhaerente limo
- h) fit e creta viridi
- i) fit e creta admixtis vitreis gemmis

5. Propter nymphaeas notus

- a) Aglaophon
- b) Nocophanes
- c) Famulus
- d) Asclepiodor
- e) Miro
- f) Aetion
- g) Monet
- h) Afrianus
- i) Simon



6. Reperiendae sunt infra fabulae tres verae ad Apellen pertinentes


- a) Cum pingeret, traditur madidis lupinis vixisse.
- b) Non iudicabat se in cane exprimere spumam anhelantis, cum in reliqua parte omni, quod difficillimum erat, sibi ipse satisfacis set. Iratus arti, quod intellegeretur, spongeam inpegit in viso loco tabulae. Et illa reposuit ablatos colores qualiter cura optaverat, fecitque in pictura fortuna naturam.
- c) Non fuerat ei gratia in comitatu Alexandri cum Ptolemaeo, quo regnante Alexandriam vi tempestatis expulsus, subornato fraude aemulorum plano regio invitatus, ad cenam venit indignantique Ptolemaeo et vocatores suos ostendenti, ut diceret a quo eorum invitatus esset, arrepto carbone extincto e foculo imaginem in pariete delineavit, adgnoscente vultum plani rege inchoatum protinus.
- d) Cum dilectam sibi e pallacis suis praecipue, nomine Pancaspen nudam pingi ob admirationem formae ab Apelle iussisset cumque, dum paret, captum amore sensisset, dono dedit Alexander ei.
- e) Fuit et Apelles Romae celebris ni flagitio inspigni corrupisset artem, semper ei lenocinans, cuius feminae amore flagraret, et ob id deas pingens, sed dilectarum imagine. Itaque in pictura eius scorta numerabantur.
- f) Apelles nullo honore exceptus ab Stratonice regina pinxit volu-

tantem cum piscatore, quem reginam amare sermo erat, eamque tabulam in portu Ephesi proposuit, ipse velis raptus.

- g) Feruntque reprehensum a sutore, quod in crepidis una pau- ciores intus fecisset ansas, eodem postero die superbo emenda- tione pristinae admonitionis cavillante circa crus, indignatum prospexisse denuntiantem, ne supra crepidam sutor iudicaret, quod et ipsum in proverbium abiit.
- h) Fertur Apellen pinxisse puerum uvas ferentem, ad quas cum advolassent aves, cadem ingenuitate processit iratus operi et dixit: «uvas melius pinxi quam puerum, nam si et hoc consum- massem, aves timere debuerant».
- i) Caecus fuit.


7. Is pictor tabulam fecit adeoque in illa sibi placuit, ut versum sub- scriberet celebrem ex eo, invisurum aliquem facilius quam imitaturum.

- a) Ctesilochus
- b) Leontiscus
- c) Nearchus
- d) Picasso
- e) Erigon
- f) Cratinus
- g) Anaxander
- h) Coenus
- i) Apollodorus



8. Quattuor coloribus solis immortalia illa opera fecit Apelles: ex albis Melino, e silaciis Attico, ex nigris atramento, ex rubris...

- a) appiano
- b) elephantino
- c) paraetonio
- d) tryginone
- e) Sinopide Pontica
- f) anulari
- g) fuma



- h) chrysocolla
- i) ochra

9. Fertur Cimonem Cleonaeum catagrapha invenisse, id est

- a) obliquas imagines invenit
- b) instituit os adaperire et dentes ostendere
- c) huius auctoritate effectum est ut pueri in tota Graecia ingenui omnia ante graphicen, hoc est picturam in buxo, docerentur recipereturque ars ea in primum gradum liberalium.
- d) atramentum adulteratum fornacium balinearumque fuligine quo ad volumina scribenda utuntur.
- e) nihil aliud quam homines nobiles pinxit
- f) in veste pinxit
- g) pinxit cestro in ebore
- h) clipeum intus pinxit
- i) encaustas picturas invenit

10. Rubricae genus in ea voluere intellegi quidam, minio proxima; Nec nisi signata venumdabatur, unde et sphragidem appellaverunt. In medi- cina praeclara res habetur.


- a) Pilos detrahit smectica vi.
- b) Refrigerat, emollit, explet vulnera; si coquatur, utilis et capitis doloribus et ad deprehendenda pura.
- c) Epiphoras oculorum mitigat ac dolores
- d) Rigores et impetus seat siccatque ulcera.
- e) Usus in medicina ad pilos tantum alendos habet, maximeque in palpebris.
- f) Siccat ideoque ex emplastris conveniet.
- g) Bibitur contra ulcera in umore sita.
- h) In medicina eundem usum habet quem Eretria creta.
- i) Linguam tactu siccat.

Nunc si minus quam IV solutiones rectas numeras, apud Plinium librum XXXV sine mora lege!

Estelle Gitta

Solutions: 1c, 2e, 3c, 4g, 5g, 6cdg, 7i, 8e, 9a, 10c

Busiris nex nobis proponitur



Haud ignoratis Herculem Virtutem consecrari cunctatum non esse. Duodecim res ab eo optime gestae sunt. Imago exterior cuiusdam poculi fabulam de nece Busiris illustrat. Busiris rex, Neptuni filius, in Aegypto dominabatur. Omnes peregrinos consecratur et modo hostiarum lovi immolabat. Etiam Hercules comprehensus et ad aram ductus est. Hercules viribus ingentibus vincula rupit et regem interfecit. Hac in imagine ministri nece regis perterriti fugae se dant. Instrumenta ad sacrificium peregrini allata in terram cadunt, velut instrumentum musicum dextra pictum. Fabula nos docet fugam ministrorum bene non evenisse. Hercules non solum regem, sed etiam ministros interfecit.

Barbara Maier

DE TRIBUS PORCELLIS FABULA



Porcellus supra pictus aequè hebes ac pecus est, quod domum suam e stramento fecit.

Roald Dahl REVOLTING RHYMES

Versiculi Horribiles
a Francisco Schlosser Rhenano-Palatinensi
in sermonem Latinum conversi
imagunculisque lepidis exornati

Est porcus mihi bestiarum
longe gratissima cunctorum.

Porci callidissimi,
suaves sunt. Occasio si
fuerit, et stolidum
invenimus porculum.
Quid diceres, in silva cum
sub lucem faceres spatium
et porci stramenticiam
conspiceres domunculam?

Hanc videns Lupus "Porci perna
mox", iubilavit, "res interna!"

"O Porcelle, Porcelle, da aditum mi!"
"Non dabo, mehercule, aditum ti!"
"Sic flando prosternam domunculam
vi!"

Porcellus Lupo supplicavit.
Qui flando casulam prostravit.
"Suillum", dixit, "optimum
est assum. Fortunatus sum!"
Porcello vesci festinavit.
Extremam caudam reservavit.



*Lupus porcellum,
qui casam
e stramento
fecit, esurus est.*

Perrexit ire Lupulus.
Qui subito alterius
conspexit porci teneris
casellam factam ramulis.

"Porcelle, Porcelle, da aditum mi!"
"Non dabo, mehercule, aditum ti!"
"Sic flando prosternam domuncu-
lam vi!"
Tum ille: "Agedum!" clamavit,
et flavit, flavit, flavit, flavit.
Edidit porcus vagitum:
"Cepisti iam ientaculum!
Deducas rem ad otium!"
Sed Lupus dixit: "Minime!

Nunc, porce, actum est de te!"
Tum ille eso porculo:
"Etiamnunc fame perio!
Et tertium plenus meus venter
porcellum ederet libenter!"
Per manus, genua reptavit.
Casellae tertiae adventavit,
qua in casella anxius
porcellus erat abditus.



*Lupus etiamnunc fame laborans
domunculae lateribus factae appropin-
quat.*

Sed callidus et maximi
 hic porculus consilii,
 casellam quod lateribus
 est fabricatus porculus.
 Clamavit: "Tu non capis me!"
 Lupus: "Prosternam flando te!"
 Tum porculus: "Quae vana res,
 ut puto, rumpes ramices!"
 Tum Lupus flavit, flavit, flavit –
 Casella autem perduravit.
 Haud sternunt flatum casam.
 "Quam displodam!", dixit, "casu-
 lam pyroboli, mi porce, si
 res coget, displodendi vi!"

"Luporum genus perfidum!"
 exclamans telephonicum
 selexit numerum puellae
 porcellus nomine Mitellae.
 Iam vox Mitellae: "Quocum, dic,
 loquor? Es tu, Porcelle?" - "Sic!",
 respondit Porcus. "Oro te,
 ut opem feras! Iuva me!"



*Porcellus Mitellam Rubram de lupi
 porcivori adventu telefonice certio-
 rem facit. Si hodierno tempore
 vixisset, puellam litteris telegraphice
 vel electronicè missis certio-
 rem fecisset.*

"Quid vexat te, Porcelle mi?"
 "Stat ante casam Lupus. Qui
 est perfidus. Me adiuva!
 Tu usu lupi praedita."
 Tum illa: "In lupina re
 versata sum – verissime!
 Lavata coma mea me
 in viam dabo prope."

Non multo post Mitella iam
 pulsavit casae ianuam.
 Quam Lupi oculi lucebant!
 Ut ovi luteum flavebant.
 Acutos dentes possidebat.
 Ex ore sputum effluebat.
 Puella ridet. Ferrum quae
 iterum sinu tunicae
 suae depromit, Lupum quo
 occidit globulifero.
 Quod videns Porcus: "Optime
 fecisti!" dixit "hac in re!"

O Porcule, iuenculas
 omnes suspectas habeas!
 Nam nunc non solum est vestita
 lupino corio mellita.
 Nunc porci habet etiam
 e pelle factam perulam.



*Mitella Rubra per tabernas vagatur. Optimo
 animo est. Cantiunculam a Scarabulsantibus (*)
 compositam cantitat.*

(* Scarabulsantes: Qui lingua Anglica *Beatles*
 appellati musici popularissimi sunt. Qua de causa

Mitella Rubra cantiunculam a *Ringone* excogitatam, "*Habitu in navi helvola sub-
 aquanea, subaquanea*", cantitat.

CANTICA
A „SCARABULSANTIBUS“ LINGUA ANGLICA „BEATLES“
APPELLATIS
COMPOSITA, A FRANCISCO SCHLOSSER LATINE REDDITA

She loves you, yeah, yeah, yeah

Dilecta dicit se
 numquam non te amavisse.
 Quae negat minime,
 crede mi, te dimisisse.
 Incensa tui
 est amore. Dicit se
 captam amore tui esse,
 perditte. O!

Te amat, te amat,
 te amat, te amat.
 Quali amore suo
 laetum reddit te.



PROVERBIA HISPANICA



Ebro traidor, naces en Castilla y riegas a Aragón.

Iberus proditor, qui nasceris in Castella et rigas Aragoniam.

*

Del río manso me guarde Dios, que del fuerte yo me guardaré.

A flumine mansueto deus me defendat, nam a rapido ipse me defendam.

*

Quien espera, desespera.

Sperans desperat.

*

Desgraciado en el juego, afortunado en el amor.

Mala fortuna in ludo, bona fortuna in amore.

*

Quien mal oye, mal (o peor) responde.

Ille, qui male audit, male (vel peius) respondet.

*

No por correr más deprisa se llega antes.

Non celerius currendo prius advenitur.

Haber visto las orejas al lobo.

Lupi aures vidisse.

*

En el nacer y en el morir todos somos iguales, aunque no sea en el vivir.



In nascendo et in moriendo omnes pares sumus, non autem in vita.

*

Más sabe el diablo por viejo que por diablo.

Diabolus plus cognovit peritia diuturna quam quod diabolus est.

*

Quien no llora, no mama.

Ille, qui non plorat, non sugit.

*

Del agua mansa te guarda, que la recia presto pasa.

Aquam mansuetam cave, nam rapida cito praeterit.

Lo que uno no quiere, otro lo ruega.

Ea, quae alius non cupit, alius rogat.

*

El viento que corre muda la veleta, mas no la torre.

Ventus currens vexillum mutat, non autem turrim.

*

En pan cortar y vino echar, bien veo quién me quiere bien y quién me quiere mal.

In panem secando et vinum dando bene cognosco, qui me bene diligit et qui me male diligit.

*

El tiempo todo lo cura y todo lo muda.

Tempus omnia curat et omnia mutat.

*

Amigo por amigo, el buen pan y el buen vino.

Amicus pro amico, panis bonus et bonum vinum.

In Latinum vertit Daniel Weissmann




Est modus in rebus

Quis primus hanc figuram delineavit? Leonardus da Vinci? Minime! Antiquitatus quoque legi potuerunt haec: «Corpus enim hominis ita natura composuit ut os capitis a mento ad frontem summam et radices imas capilli esset decimae partis, item manus pansa ab articulo ad extremum medium digittum tantumdem; caput a mento ad summum verticem octavae, cum cervicibus imis ab summo pectore ad imas radices capillorum sextae, a medio pectore ad summum verticem quartae. Ipsius autem oris altitudinis tertia est pars ab imo mento ad imas nares, nasum ab imis naribus ad finem medium superciliorum tantumdem; ab ea fine ad imas radices capilli frons efficitur item tertiae partis. Pes vero altitudinis corporis sextae, cubitus quartae, pectus item quartae. Reliqua quoque membra suas habent commensus proportiones, quibus etiam antiqui pictores et statuarii nobiles usi magnas et infinitas laudes sunt adsecuti.

[...] Item corporis centrum medium naturaliter est umbilicus; namque si homo collocatus fuerit supinus manibus et pedibus pansis circinique collocatum centrum in umbilico eius, circumagendo rotundationem utrarumque manuum et pedum digiti linea tangentur. Non minus quemadmodum schema rotundationis in corpore efficitur, item quadrata designatio in eo invenietur; nam si a pedibus imis ad summum caput mensum erit eaque mensura relata fuerit ad manus pansas, invenietur eadem latitudo ut altitudo, quemadmodum areae, quae ad normam sunt quadratae [...].

Nec minus mensurarum rationes, quae in omnibus operibus videntur necessariae esse, ex corporis membris collegerunt, ut digitum, palmum, pedem, cubitum et eas distribuerunt in perfectum numerum, quem Graeci τελεον dicunt. Perfectum autem antiqui instituerunt numerum qui decem dicitur; namque ex manibus digitorum numero est inventus. Si autem in utrisque palmis ex articulis ab natura decem sunt perfecti,



etiam Platoni placuit esse eum numerum ea re perfectum, quod ex singularibus rebus, quae μοναδες apud Graecos dicuntur, perficitur decusis. Quae simul autem undecim aut duodecim sunt factae, quod superaverint, non possunt esse perfectae, donec ad alterum decusim perveniant; singulares enim res particulae sunt eius numeri.

Mathematici vero contra disputantes ea re perfectum dixerunt esse numerum qui sex dicitur, quod is numerus habet partitiones eorum rationibus sex numero convenientes: sic sextantem unum, trientem duo, semissem tria, bessem quem διμοιρον dicunt quattuor, quintarium quem πεντεμοιρον dicunt quinque, perfectum sex. Cum ad duplicationem crescat, supra sex adiecto asse εφεκτον; cum facta sunt octo, quod est tertia adiecta, tertiarium alterum, qui επιτριτος dicitur; dimidia adiecta, cum facta sunt novem, sesquialterum qui ημολιος appellatur; duabus partibus additis et decusi facto bes alterum, quem επιδιμοιρον vocitant; in undecim numero, quod adiecti sunt quinque, quintarium, quem επιπεμπτον dicunt; duodecim autem, quod ex duobus numeris simplicibus est effectus, diplasiona.

Non minus etiam quod pes hominis altitudinis sextam habet partem, ita etiam ex eo quod perficitur pedum numero, sexies, corporis altitudinis terminatio, eum perfectum constituerunt, cubitumque animadverterunt ex sex palmis constare digitisque XXIV.


Nostri autem primo fecerunt perfectum antiquum numerum et in denario denos aeris constituerunt, et ea re compositio nominis ad hodiernum diem denarium retinet. Etiamque quarta pars, quod efficiebatur ex duobus assibus et tertio semisse, sestertium vocitaverunt. Postea autem quam animadverterunt utrosque numeros esse perfectos et sex et decem, utrosque in unum coiecerunt et fecerunt perfectissimum decusis sexis. Huius autem rei auctorem invenerunt pedem; e cubito enim cum dempti sunt palmi duo, relinquitur pes quattuor palmorum, palmus autem habet quattuor digitos. Ita efficitur ut habeat pes sedecim digitos et totidem asses aeracius denarius».

Aenigma

Nomen huius scriptoris restituendum est litteris R, S, T et 22 (id est summa reliquarum litterarum numeralium, quae addendae sunt).



Aes signatum



Aes signatum

«Pondus rebus natura locavit corporeis: elementa suum regit omnia pondus», ait Priscianus. Haud raro tamen iactatus est as. Scientia tua quaestiunculis infra proba!

1. Saeculo V a. C. n., si tibi est as unus, habes aeris
..... pondo (327 gr.).
2. Postea, si tibi est as unus «libralis» vocatus, habes aeris uncias pondo (272 gr.).
3. Saeculo tertio a. C. n. exeunte, si tibi est as unus «trientalis» vocatus, habes aeris pondo (109 gr.).
4. Secundo saeculo a. C. n. ineunte, si tibi est as «uncialis» vocatus, habes aeris unciam unam pondo vel partem librae pondo (27,25 gr.).
5. Anno 89 a. C. n., si tibi est as unus, habes aeris pondo (13,625 gr.).
6. Anno 15 a. C. n., si tibi est as unus, habes aeris unciae pondo (9,083 gr.).
7. Saeculo tertio p. C. n., si tibi est as unus, habes aeris pondo (2,27 gr.).



As

Quod erat demonstrandum!

Haec proposuit Stella GITTA, quae solvet in pagina proxima

Hoc non erat in votis

I Magistralium dolorum remedium

Nervorum, cordis, stomachi quae sit medicina grammatico quaeris? Semper abesse schola. Haec est una quies tibi quam gustare licebit, hircorum stabulo sordidiore procul.

II Timeo discipulos et dona ferentes

Munificos egomet vere sum nactus alumnos, quorum nullus enim dona negare solet: sternumenta Petrus communicat, Aelia tussim; Fulvia, Paule, precor: parcite mi scabiem!

III Omne tulit punctum...qui computatro uti didicit

Instrumenta vales hodierna adhibere, professor? Te sane ista una condicione probant. Doctrinis licet excultus propriis videare, vertetur vitio tam capitale scelus!

IV Lyceum an lupanar?

Discipulas suevit physicae attractare magister, assidue explorans florida crura, sinum; doctricis iussu monstratur mentula longa: rectum istic nomen nonne lupanar erit?

Orestes Carbonero

1. unam libram
2. decem
3. tertiam partem librae
4. duodecimam
5. dimidiam partem unciae
6. tertiam partem
7. duodecimam partem unciae

Quaestiunculae:

SOLUTIONES
Aenigma: VITRVIVS

Quomodo Richardus Strauss Iosephusque Gregor fabulam Daphnes antiquam interpretati sint (Tertia pars)



Daphne tum Apollinem fugit, qui tamen instat eamque orat, ut se sequatur; interim pastores invicem Bacchum invocant. Undique Daphne suis pudoribus, libidinibus alienis angitur, quibus maxime vexata atque mente perturbata ad Gaeam matrem se recipit, dum Apollo ad coetum virorum se confert. Pastores iam epulantur et paulatim choro primum lento, deinde magis magisque incitato et ipsi incitantur, ut cupiditate exardescant mulieres per iocos sectantes.

Paulo post puellae in medium prodeunt Bacchum celebrantes, quibus inmixtus Leucippus Daphnen vestimento eius indutus nutu signisque appellat, ut potum, quem manibus porrigit, sumat et inde bibat. Daphne mirum in modum a puella sui simili attracta potat; exinde ambo saltationem sollemnem peragere incipiunt. At subito Apollo sacra interrumpit vociferans 'O quantas contumelias in deum iactatas'; quo facto coram omnibus Leucippo maledixit, quod filiam piscatoris fraudaverit. Pastores adhuc ignari, quid hoc sibi velit, postulant a pastore nimis audaci, ut signum det maiestatis potentiaeque. Exinde ille arcu paululum vibrato tonitrum etsi modestum, tamen horrificum, reddit, quo perturbati omnes, qui adsunt, diffugiunt. Remanent Daphne, Leucippus, Apollo.

Leucippus quidem tum vestimentum muliebre deponit firmaque voce suo Marte Daphnen sibi vindicat Bacchum invocans. At Daphne capite velato amborum verba spernit, voce miserabili exclamans se bis defraudatam esse. Apollo autem in summum discrimen se deum ab hominibus cogi queritur, cum iuvenis ad decertandum male paratus a pastore falso postulet, ut omni dissimulatione remota indicet, quis sit. Inde Apollo iterum verbis hymnicis solem celebrat, quibus Daphne sensim certior fit de deo vero speciem hominis prae se ferenti. Sed postquam Apollo dixit 'Nunc denique sentis deum. Quem sequere!' Daphne tamquam expergiscens firma voce respondit 'At numquam aestus tuos!' Leucippus autem falso ratus se a Daphne deo praeferri Apollini maledicit et protinus a dei sagitta ictus concidit.

Nunc etiam sonorum radiantium splendor, quo Strauss Apollinem deum denotat, extinctus esse videtur; exinde Daphne super corpus Leucippi strata ingemiscit et lamentatur. Melodiae autem Daphnes adhuc simplices sonis chromaticis inficiuntur, quem ad modum iam dudum melodiarum compositores dolorem affectusque animi nimios exprimere solent, velut Claudius Monteverdi in lamentatione illa Ariadnes celeberrima.

Qua in lamentatione Daphne ipsa se, cum amorem iuvenis contemneret, peccasse confitetur, quem iuvenem servare potuisset, si secuta esset deum. Attamen non videt etiam Apollinem culpa non vacare. Qui quidem non modo cognoscit se ipsum deum peccavisse, sed etiam se deum superatum esse ingenio atque virtute puellae, quae quamvis ignara tamen sustulit culpam dei. Denique reminiscitur se deum deorum legibus parere oportere; inde Bacchum fratrem appellat, ut sibi ignoscat, cum non modo Leucippum cultorem eius necaverit, sed etiam Daphnen innocentissimam puellam coegerit, ut mortem vitae praeferret, cum Bacchus ipse eo die vitae laetitiaeque auctor celebraretur. Cognoscit tandem, cur Bacchus sacris non interfuerit; nam ipse suo adventu impediverat, quominus frater appareret. Quibus rebus cognitis Iovem summum deorum atque hominum regem appellat, ut sibi ignoscat Daphnenque innocentem sibi reddat non hominem, qualem ipse amore caecus puellam quaesiverit, sed arborem semper virentem.

Quod nunc sequitur, quamvis necessarium non videatur, tamen vinculum unicum est, quo Richardus Strauss Iosephusque Gregor suam fabulam cum melodramatis eandem fabulam continentibus coniunxerunt. Nam Daphne subito surgit inque domum properare conatur, quod nihil est nisi fuga Daphnes, quae olim largam spectacula materiam et compositoribus et poetis et spectatoribus praebere solebat. Qua fuga brevissima Strauss atque Gregor manifestissime demonstrant, qua re eorum melodrama maxime a pristinis differat. Daphne enim non fugit deum; tamen mutari non posset, nisi fugisset. Fuga enim est motus quidam, motu tamen proprio homines atque animalia a ceteris rebus, quas terra edere potest, velut arbores vel flores, maxime differunt; itaque Daphne fugiens se ipsam vitae vel sibi ipsi vitam reddit, neque tamen vivere potest eodem pacto quo antea; itaque iterum vi quadam externa subito inhibetur, ne se movere possit, paulatimque fit illud, quod sibi iam dudum optaverat

quodque Apollo a Iove flagitaverat: fit sororibus soror; fit arbor. Obriguerat modo mortem sibi exoptans; obrigescit nunc, ut nova forma renascatur. Iterum nullis instrumentis nisi ligneis melodiis compositor utitur, quibus demonstrat Daphnen in lignum mutatum iri. At verba Daphnes novissima Strauss sonis fidium ornat vel potius coronat voce puellae paulatim in foliorum susurrum abeunte. Diana autem, soror Apollinis, quacum Apollo Daphnen saepissime comparaverat, lumine lunae totam arborem superfundit; sonis autem fidium vibrantibus puella sive arbor vocem suam, nil nisi sonum merum, immiscet.

Pauca nunc mihi dicenda sunt de verbis fabulae libelli, quem Strauss et Gregor composuerunt. Qui ambo cum verba fabulae aptissima invenire conabantur, tantam vim quam dicunt psychologiam infuderunt, ut melodiis affectus singulos depingentibus minime opus esset. Quo fit, ut hoc drama musicum fortasse nimis dulce, imaginisum parum videatur. Nam Strauss aliter ac antea neque melodias cum singulis verbis congruentes invenit neque illis accommodavit quasi tunicas artissime aptatas, sed corpus ut ita dicam verborum pallio quodam laxo amplexu amplexit. Itaque aliquae textus partes, non verba singula sunt ornata modis musicis. Tamen Strauss non talem modum musicum effecit, qualem recentioris aevi homines *ariam* appellare solent, immo vero sermones paene tales, quales adhibuerunt illi melodiis inventores, qui melodramata primi confecerunt. Formavit igitur Richardus Strauss ludum musicum, in quo aliter ac antea lingua quadam musicali loquitur unica, cum antea linguam ut ita dicam multifidam in promptu habuerit. Itaque et melodiis inventor et compositor textus verba singula, quamvis sit sui quidque momenti et ponderis, uni rationi musicali subiecerunt fabulam Daphnes suo Marte interpretantes. Transformaverunt enim spectaculum quoddam Apollinis, qui Pythone necato superbus Amorem deum laceravit, ut se sagittis in deum atque puellam fixis ulcisceretur, in fabulam novam, qua demonstrare voluerunt nil tale esse, quale esse videatur, sed omnia in se habere, ut verbis Ovidianis utar, 'non bene iunctarum



discordia semina rerum'¹, quo fit, ut restet omnibus in animalibus antiquae discordiae aliquid, 'quod dixere Chaos'², quod nisi fuisset nil extitisset. Nam si verba Ovidii percipimus et intellegimus, vim mutandi nil aliud esse quam semina illius discordiae praeae usque vigentia necesse est, quae neque deus neque melior natura radicitus tollere aut potuerit aut possit. Discordia autem principium rerum ut tolli non potest, sic est lenienda, primum, ne noceat, deinde, ut fiat discordia concors potius quam concordia discors. Melodramatis autem, quod *Daphne* inscribitur, personae omnes discordia aliqua penitus affectae sunt, cui aut adnuunt aut abnuunt, prout quisque aut vexatur aut delectatur. Est autem hoc vinculum quoddam quasi latens, quo Strauss Gregorque Ovidii *Metamorphoses* hoc cum melodramate coniunxerunt.

Velut Leucippus atque Apollo conantur superare discordiam forma quadam ambigua, cum alter puella, alter homo vult videri, quamvis sit alter iuvenis, deus alter; quo facto sibi ipsi maxime nocent. Si igitur radicem illorum elementorum oppositorum quaerimus, fortasse omnia, quae inter se discordant, nascuntur e seminibus praeae divinis, quae Chaos illud in se continuit quaeque etiam hominibus insunt. Itaque non sunt humana divinis opposita, sed et hominum et deorum habet sua quisque semina quaedam, quibus mentes animaeque eodem modo formantur. Quo fit ut non modo homo sit imago dei, sed etiam deus imago hominis; semina autem illa, quae naturam et hominum et deorum formant, temperantia quadam egent et nonnumquam carent. Quomodo fieri potest, ut Apollo deus humanis libidinibus nimis indulgeat, cum Daphne puella anima tamquam divina praedita videatur, quam ipsa invicem inturbatam aeternamque non modo in dis, sed etiam in floribus, arboribus, omnibusque rebus inesse putat, quae libidinibus licentiisque careant. Et Daphne et Apollo igitur discordibus animae partibus vexantur. At Daphne partibus inter se paribus multo vehementius labans quam deus induta est forma ut ita dicam labiliore, quo fit ut facillime mutari possit, cum Apollinem semper redire ad dei formam quamvis invitum necesse sit.

1) Ov. Met. I, 9

2) Ov. Met. I, 7



Werner Schubert
Heidelbergensis

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (omnino V fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium: secundum praemium: tertium praemium:
Bernhard Christen Orestes Carbonero Max. S. Müller-de-Vries
Heuweg 4 Corso IV Novembre 9/A Chapfstr. 394
5314 Kleindöttingen I-15100 Alessandria 8214 Gächlingen
His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria



S	E	L	E	N	E
E	D	E	R	A	M
L	E	P	O	R	I
E	R	O	T	I	S
N	A	R	I	C	I
E	M	I	S	I	T

Acidule cogitata scriptaque

I

Illud Catonis ad hodierna aptans negotia, miror equidem quod non rideat psychologus, psychologum cum viderit.

II

Paulus Coelho dicitur temporis aliquantum in dementium egisse valetudinario. Illinc vero numquam evasisse eum arbitraris, si libros, quos composuit, intente perlegas.

III

Ex Isocratis schola, ut ait Cicero, tamquam ex equo Troiano meri principes exierunt. Nunc autem ex Italicis lyceis et canes, et psittaci, et simioli, ac praesertim asini diplomate insigniti quotannis dimittuntur.

IV

“Ubi futurus medicus dentarius munere probe fungi suo discit?” -
“Apud medicum dentarium aetate provectum.”
“Ubi futurus sartor?” – “In sartoris periti officina.”
“Ubi futurus archimagirus?” – “In coqui probatissimi popina.”
“Ubi futura scriptrix?” – “In praeclari scriptoris thalamo sive cubili.”

V

Prima, quae dicebatur, res publica vitiorum omnium malorumque fons atque origo Italis esse videbatur.

Secunda autem, in prioris locum, re publica suffecta constitutaque, communem statum condicionemque in deterius ruisse patet.

Anus vestigia illius Syracusanae secuti, tertiam ne detur rem publicam experiri oramus caelestes deos ac rogamus.

VI

Nihil puero iniungi aut denegari licet: Si minus, inhibitionibus impeditur, quominus recte salubriterque adolescat.

Nihil seni decrepito imperari aut abnuui licet: Si minus, tristior atque inexpectis desideriis excruciatu morietur.

Omnia maturo homini imponi aut interdici licet, utpote quem nec pueriles nec seniles deceant excusationes.

Quae cum ita sint, aut tardius, amice, maturesce, aut festinantius senesce!

Orestes Carbonero

Senectus ipsa morbus

I

Annos te centum speras, vir, vivere posse
auxiliante novae subsidio methodi?
Recte, si membris perges tu fortibus esse;
non ita, si tergum longa senecta premit.



II

'O utinam moriar, cum vivere cogar inerter!':
corpore adhuc florens vota puella facit.
Ast ubi deficit iuvenilis splendor ocellos,
aequo animo rugas prae tumulo patitur.


III

Ver vitae brevius brevior mox demovet aestas;
nec vero autumnus longior esse solet.
Unica - ludibrio quod erit mortalibus aegris -
inventis medicis amplificatur hiems.



IV


Sistere vis tempus? Non est pote, crede, puella.
Non iterum invenies quae tibi grata negas.
Per medicos sane fiat nunc longior aetas,
supprimere occasum nulla valet pilula.



Orestes Carbonero

Quid sit veri medici officium ?

Veri igitur medici officium sit, aegrum solari, eidemque bonam futurae suae pristinae valetudinis spem concitare: ac periculum, si quod inesset, vitae dissimulare. Interea tamen, etsi deploratissimus esset morbus, ipsimet aegrotanti sua solertia cognitus, bonis tamen verbis a medico recreandus est: nec non ope medicinae, in salutem hominum creatae, ut multa sibi bona polliceatur, hortandus est: Ipse Deus in optimum et benevolum medicum ac potentissimum proponendus, qui ex morte ipsa, vel exanimis possit revocare: eum esse, qui ex sepulchris mortuos eruat: in eum totam spem et fiduciam esse reponendam: nec medicorum praedictionibus immorandum, ut quae saepius fallaces et incertae sint: multos in gravissimis morbis a medicis fuisse derelictos, et morti adiudicatos, qui singulari tamen Dei benignitate restituti sint: Denique non prius de vita esse desperandum, quam spirandi finis accesserit. Atque haec quae aegris opportune spes iniicitur, magni est momenti, et insigne pharmacum, quod non minus morbis omnibus opitulatur, quam metus e contra lethali suo veneno omnibus est exitio.



Rettulit Stella GITTA


Solutio
Domi manere virum fortunatum decet

Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA **IDIBUS APRILIBUS** EST! SOLVTIONES IN VNO LIBELLORVM SEQVENTIVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
 secundum et tertium praemium LIBELLVS

1. dea Celtarum, imprimis Hiberniae
2. mulier lingua Latina loquens
3. satiat vel perficit vel gravidam facit
4. tegimen capitis (Gen.)
5. sine armis (f.)
6. ad quendam regem Sabinorum pertinens (Acc. sg. f.)



Daniel Weissmann

ROMULUS MAGNUS

Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) Helvetii narratoris et comoeographi ingeniosi ROMULUS MAGNUS (“Romulus der Grosse”) comoedia historica fidei historicae contraria quattuor actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964 retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversa.

Comoediae pars octava

ROMULUS: Estne parata navicula piscatoria?
 IULIA: Non navicula, sed ratis est.
 ROMULUS: Nonne hoc est aliquatenus periculosum?
 IULIA: Manere est periculosius.
Silentium.
 ROMULUS: Bonum iter tibi exopto.
 IULIA: Fortasse diu inter nos non videbimus.
 ROMULUS: Numquam inter nos revidebimus.
 IULIA: Constitui, ut in Sicilia pergam hosti resistere. Omni pretio.
 ROMULUS: Hoc ineptumst.
 IULIA: Hastas abicis.
 ROMULUS: Rem pensito. Si nos defenderimus, interitus noster fiet etiam cruentior. Quod licet sit gloriosum, sed cui bono? Quid accendamus mundum, qui iam perditus est?
Silentium.
 IULIA: Ergo non vis Ream nubere illi Caesari Runcinae?
 ROMULUS: Nolo.
 IULIA: Neque vis mecum in Siciliam ire?
 ROMULUS: Imperator non fugit.
 IULIA: Lues capite.
 ROMULUS: Fiat sane. Itaque iam nunc agitandumst quasi capite orbatus sim?
Silentium.
 IULIA: Nunc ex viginti annis matrimonio coniuncti sumus, Romule.
 ROMULUS: Quid memoras hanc rem formidulosam?

IULIA: Quondam inter nos amavimus.

ROMULUS: Bene scis te mentiri.

Silentium.

IULIA: Ergo me non in matrimonium duxisti, nisi ut fieres Imperator?

ROMULUS: Certe.

IULIA: Hoc audes mihi coram ingerere?

ROMULUS: Scilicet. Conubium nostrum erat horribile, sed ne uno die quidem studui te nefarie celare causam, qua te uxorem duxeram. Ego te duxi, ut fierem Imperator, et tu mihi nupsisti, ut fieres Imperatrix. Tu facta es uxor mea, quia ego ortus sum e Romana gente nobilissima, tu es filia Caesaris Valentiani et servae. Ego te feci legitimam, tu mihi coronam dedisti.

Silentium.

IULIA: Ergo nos unus altero eguimus.

ROMULUS: Rem acu tetigisti.

IULIA: Ergo tibi quoque officium est mecum in Siciliam ire. Nos officii inter nos coniuncti sumus.

ROMULUS: Mihi nullum iam officium est in te. Tibi dedi, quod a me volueras. Facta es Imperatrix.

IULIA: Ergo nihil est, quod mihi obicias. Nos ambo aequum fecimus.

ROMULUS: Non aequum fecimus. Id quod ego feci et illud, quod tu fecisti, infinite inter se differunt.

IULIA: Hoc non intellego.

ROMULUS: Tu mihi nupsisti ambitione. Tu omnia facis ambitione. Nunc quoque ambitionis causa non vis discedere a bello perditio.

IULIA: Ibo in Siciliam, quia amo patriam meam.

ROMULUS: Tu nullam patriam novisti. Quod tu amas, est idea civitatis a sensibus sevocata, qua factum est, ut nubendo fieres Imperatrix.

Denuo ambo tacent.

IULIA: Sit ita. Quidni dicam verum? Quidni nos sincere colloquamur? Sum ambitiosa. Ego nihil maioris aestimo nisi potestatem imperialem. Ego sum proneptrix Iuliani, ultimi Imperatoris magni. Inde glorior. At tu quis es? Filius patricii qui decoxit. Tu quoque ambitiosus es, alioquin non ascendisses ad honorem Imperatoris Imperii universalis et mansisses talis homuncio, qualis fueras.

ROMULUS: Honoribus assequendis non studui ambitionis, sed necessitatis causa. Id quod finis tibi, mihi via fuit. Ego Imperator factus sum sola prudentia civili.

IULIA: Heus quando tu umquam fuisti prudentia civili? Spatio viginti annorum, quo tu Imperio praefuisti, nihil fecisti nisi manducasti, potasti, dormitasti, lectitasti, gallinas saginasti. Villam tuam numquam reliquisti, urbem tuam principalem numquam intrasti, pecunia imperialis tam vehementer absumpta est, ut nobis nunc vivendum sit more mercennariorum. Nihil efficere scis nisi facetiis tuis omne consilium tollere, quo quis studet tibi Imperium abrogare. Mendacissimum autem est contendere te agere aliqua prudentia civili. Neronis *megalomania furorque Caracallae redolent maiorem maturitatem politicam quam cupiditas tua gallinas alendi. Tu nulla re praecellis nisi pigritia.

ROMULUS: Scilicet. Prudentia mea civilis posita est in mea pigritia.

IULIA: Non opus erat te Imperatorem fieri, ut pigresceres.

ROMULUS: Non consentaneum fuisset, ut pigrarer, nisi munere imperiali praeditus. Hominem privatum pigrari prorsus inefficax est.

IULIA: At Imperator si est piger, periclitatur civitas.

ROMULUS: Viden'?

IULIA: Quid dicis hoc?

ROMULUS: Nunc pigritiae meae causam invenisti.

IULIA: Omnino non dubito, quin civitas sit necessaria.

ROMULUS: Non dubito de civitate, sed de civitate nostra. Quae factum est regnum universale ideoque institutio publica, qua aliae gentes occiderentur, diriperentur, supprimerentur, earumque urbes agrisque incendiis vastarentur, usque dum ego Imperator factus sum.

IULIA: Non comprehendo, quare tu ipse Imperator factus sis, si tam malum esse putas Imperium Romanorum universale.

ROMULUS: Imperium Romanorum universale e saeculis nulla alia causa exstat nisi ea, qua exstat Imperator. Itaque ut Imperium tollerem necesse erat me ipsum fieri Imperatorem.

IULIA: Aut tu deliras aut omnes homines ceteri.

ROMULUS: Mihi quidem postremum rectum esse videtur.

IULIA: Ergo me in matrimonium duxisti, ut deleres Imperium Romanum.

ROMULUS: Sola hac de causa.

IULIA: Ex initio nihil cogitasti nisi Romae esse exitium parandum.
ROMULUS: Nihil aliud.
IULIA: Consulto impedivisti, ne Imperium servaretur.
ROMULUS: Consulto.
IULIA: Partem egisti philosophi cynici et buconis semper voracis, ut nos a tergo opprimeres.
ROMULUS: His quoque verbis rem exprimere potes.
IULIA: Tu me in errorem induxisti.
ROMULUS: Tu errasti eo quod putasti me esse tam cupidum potestatis quam te. Computasti, sed falso computasti.
IULIA: Tua ratio constat.
ROMULUS: Roma peribit.
IULIA: Tu Romam prodidisti.
ROMULUS: Proditor Romae non sum, sed iudex.
Tacent. Tum Imperatrix desperata exclamat.
IULIA: Romule!
ROMULUS: I nunc in Siciliam. Nihil restat tibi dicendum.
Imperatrix lente exit. E recessu venit Achilles.
ACHILLES: Mi Imperator.
ROMULUS: Poculum est vacuum. Infunde iterum.
Achilles ei infundit.
ROMULUS: Tremis.
ACHILLES: Ita sane, Maiestas.
ROMULUS: Quare?
ACHILLES: Maiestas tua non amat me loqui de statu militari.
ROMULUS: Scis te a me expressis verbis vetitum esse hoc facere. De statu militari cum nemine loquor nisi cum tonsore meo. Qui est unicus huius rei peritus.
ACHILLES: At cecidit Capua.
ROMULUS: Hoc autem non est causae, cur profundas vinum Falernum.
ACHILLES: Veniam peto.
Dorsum inclinat.
ROMULUS: I nunc cubitum.
ACHILLES: Rea principissa cum Maiestate tua loqui desiderat.
ROMULUS: Veniat filia mea.

Achilles exit. E recessu Rea venit.
REA: Mi pater.
ROMULUS: Veni, mea filia. Considas ad me.
Rea iuxta eum considit.
ROMULUS: Quid habes mihi dicendum?
REA: Roma periclitatur, mi pater.
ROMULUS: Mirum est, quod ipsa hac nocte omnes volunt mecum colloqui de rebus politicis. Oportet hoc fiat inter prandium.
REA: De qua re dicam?
ROMULUS: Dicas de iis, quae patri dicenda sunt hora nocturna. De iis, quae tibi sunt proxima, mea filia.
REA: Roma mihi est proxima.
ROMULUS: Ergo non iam amas Aemilianum, quem exspectasti?
REA: Quem adhuc amo, mi pater.
ROMULUS: At non iam tam ardentem quam prius, non iam ita ut olim eum amasti.
REA: Eum plus amo vita mea.
ROMULUS: Ergo narra mihi de Aemiliano. Si eum amas, idem plus valet quam Imperium perditum.
REA: Mi pater, sine me nubere Caesari Runcinae.
ROMULUS: Ille Runcina, mea filia, placet quidem mihi, quia habet pecuniam, sed nobis dat condiciones, quas non accipio.
REA: Qui Romam servabit.
ROMULUS: Hoc quidem movet mihi suspicionem: Fabricatorem bracciarum, qui servare vult civitatem Romanam, necesse est mente captum esse.
REA: Nulla alia est ratio, qua patria servetur.
ROMULUS: Hoc quidem concedo, aliam rationem non esse. Patria servari non potest nisi pecunia, alioquin est perdita. Nobis eligendus est aut *capitalismus calamitosus aut calamitas capitalis. At tu non potes nubere Caesari Runcinae, tu enim amas Aemilianum.
Silentium.
REA: Debeo eum relinquere, ut serviam patriae.
ROMULUS: Hoc est facile dictu.

REA: Patria praevalet omnibus.
 ROMULUS: Viden' te nimium studuisse tragoediis pernoscentis.
 REA: Nonne patria magis amanda est quam cetera omnia?
 ROMULUS: Non, eadem minus amanda est quam homo. Imprimis patriae diffidendumst. Nemo facilius fit homicida quam patria.
 REA: Pater!
 ROMULUS: Mea filia!
 REA: Heus nullo modo licet deserere patriam.
 ROMULUS: Debes deserere.
 REA: Sine patria vivere non possum!
 ROMULUS: Potesne vivere sine viro amato? Multo maius et gravius est fidem servare homini quam civitati.
 REA: Agitur de patria, non de aliqua civitate.
 ROMULUS: Patria civitas semper appellatur, cum vitae hominum est insidiaturus.
 REA: Roma magna facta est amore nostro patriae absoluto.
 ROMULUS: At amore nostro Roma non bona facta est. Nos virtutibus nostris saginavimus bestiam feram. Nos magnitudine patriae inebriati sumus tamquam vino, sed nunc absinthiatum est id quod amaveramus.
 REA: Patriae ingratus es.
 ROMULUS: Non ingratus sum, sed dissimilis sum illis tragoediarum patribus heroicis, qui civitati exoptant, ut bene cenet, si filios suos est devoratura. I, nube Aemiliano!
Silentium.
 REA: Aemilianus me abegit, pater.
 ROMULUS: Si animae tuae inest scintilla saltim veri ignis amoris, hoc non seiungeris ab amato tuo. Tu apud eum manebis, etiamsi te abegit, apud eum permanebis, etiamsi est sceleratus. At a patria tua seiungi potes. Si eadem facta est carnificina et receptaculum sicariorum, excute pulverem de pedibus, nam amor tuus patriae est inops.
Silentium. Per fenestram sinistram ascendit figura aliqua humana in cubiculum, quae se abdit in aliquem locum recessus tenebrosum.

Comoediae pars nona in proximo libello sequetur!

Subnoto RV, ut ipse accipiam
 (Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RV als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist):

 Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
 C/o EDITIONS DU LAC
 Estelle GITTA
 Ch. F.-Lehmann 2
 1218 Grand-Saconnex

RVMOR VARIVS
 c/o D. Weissmann
 Tellstrasse 30
 3014 Bern

PP/Journal

4702 Oensingen

5 + 6/2002


IDIBVS DECEMBRIBVS

MMII

Hic solutionem inscribe et chartam mitte !

1	2	3	4	5	6

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:



TOMVS 25

FASC. 146